



Philippus ex illustri Groiarum familia ortus, à pueris operam literis dedit, & in omni genere uirtutū apud Belgas optimè educatus fuit. Postea Cæsaris Caroli castra sequens, magnam rei bellicæ peritiã nactus est. Itaq; Cæsar eum in Velleris aurei ordinē recepit, & equitē creauit. Postea quoq; res magnas administrare iussit, & plurimū dilexit. Cum etiam Philippus Cæsaris filius 1549 à patre euocatus in Germaniã ueniret, Carolus ei Germanicum equitatum ad fines Germaniæ obuiam misit, atq; huic Arescotium principem præfecit. Philippus uerò multis uirtutibus conspicuus res sibi cōmissas sceleriter expediuit, atq; hoc modo apud Belgas in magna autoritate fuit. Cum autem postea 1555 Philippus rex contra Gallum bellum gereret, atq; Arescotius fortiter ei adesset, accidit ut fortè ab hoste caperetur. Verū cum longa contentione de permutandis captiuis ipsi scq; inducñs 1556 ageretur, priusquam conuenirent, Arescotius magna industria euasit, & incolumis ad suos redijt. Postea pace comparata cum autoritate inter Belgas uixit, & dum Maximilianus Ferdinandi filius 1562 Francko forti Cæsar designaretur, nomine Philippi regis Hispaniarum legatus interfuit, & inter principes magnam sibi autoritatem comparauit. Anon.